

*dat vitam eternam* 1. *Job.* V, 11. ita ut hæc ideo χάρισμα aut gratuitum ejus donum dicatur, *Rom.* VI, 23. Cui ergo alii adscribamus, si quando hominibus adhuc in via constitutis, atque adeo, velut ante tempus, securæ beatitudinis gustus concedatur? Hic profecto perinde est, (etsi alias plurimum intersit, ut infra videbimus,) sive prægustum hunc beatitudinis in ipsa intuitiva DEI visione; sive in gratiosis ad sphæram hujus vitæ pertinentibus donis aut actibus, colloces. Utrunque enim, sicuti dona atque operationes supernaturales agnosci debent, ad quas sese naturales hominum vires elevare ipsæ non possunt; ita si alterutrum ex his contingat, nemo alius nisi Deus, infinita virtute pollens, beneficii tanti auctor esse aut dici potest.

XI. Deum autem dum nominamus, non est, cur ad unam præcise personam, cæteris exclusis, hoc opus restringamus. Nam & creatio nostra, & sanctificatio seu renovatio, & ipsius vitæ æternæ plena collatio, tribus personis communis est: ac res ipsa loquitur, opera illa, quæ a bonitate & potentia unius essentiæ divinæ una atque indivisa proficiscuntur, & in creaturis terminum realiter productum habent; (in quorum numero utique est inchoatio seu participatio beatitudinis æternæ in hac vita.) a Deo trinuno pendere. Hoc tamen non obstat, quo minus Spiritui Sancto, cui sanctificationis opus, quod in hac vita inchoatur, in altera perficitur, per approbationem, quam vocant, alias tribui solet, (in eamque rem videri meretur *Catechismus* noster in explanatione *articuli III. Symboli Apostolici*;) etiam collatio prægustus vitæ æternæ hæc ratione peculiariter tribui possit.

XII. *Causam impulsivam internam* si quæras, facile hic sese offeret Gratia, sive favor gratuitus, Bonitas, & Φιλανθρωπία Dei, qua Deus inductus, sicut justificat homines & hæredes salutis constituit, tandemque salvat; ita salutis futuræ gustum, beneficium non minus indebitum, eadem impellente Gratia aut Bonitate sua summa, in antecessum conferre, censeri debet.

XIII.